

83  
10  
PRO SANCTISSIMO  
LIBRO CHRISTIANÆ  
CONCORDIÆ.

DISPUTATIO DECIMA,

Quæ est altera, & quidem in refutando posita,  
de sacratissima Domini cœna.

QUATUOR CAPITVM:

1. Sententia pontificiorum de *μετσωωσ* ex Roberto Bellarmino reiecta.
2. Argumenta Bellarmini confutata.
3. Nostra sententiæ fundamenta *αυαασκευασικα* contra Calvinianos.
4. Præcipua argumenta Calvinianorum, quæ recensuit Antonius Sa-  
deele, discussa.

De quibus sub Præsidio

SALOMONIS GESNERI S. THEOLOGIÆ

Doctoris & Professoris in Academia VVitebergensi, 30.

Martij, Anno 1594. *συνθεωσ*, respondebit

M. GEORGIVS LIBENSTEINIUS Heilbronnensis.



VVITBERGÆ cl. 10. XCIII.

PRO SAECULISSIMO  
LIBRO CHRISTIANE  
CONGREGATIONIS  
SACRATISSIMO



Canon Nicenus.

Ἐπί τῆς θείας τραπέζης μή τῶς προσημνύω ἄρτων ἢ τῶς ποτηρίω τα-  
πὴνως προσέχωμεν, ἀλλὰ ὑψώσαντες πλὴν διάνοιαν πρὸς νοήσωμεν  
κεῖθεν ἐπὶ τῆς ἱερῆς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἁμνὸν τοῦ θεοῦ τὸν ἄροντα πλὴν ἁμαρ-  
τίαν τοῦ κόσμου, ἐθύτως ὑπὸ πᾶν ἱερῶν θυόμιμον, ἢ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα  
καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντα ἡμᾶς πρὸς εὐφρ, ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἀνα-  
στάσεως ἡμετέρας σύμβολα. διὰ τοιοῦτο γὰρ οὔτε πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλὰ  
ὀλίγον, ἵνα γινώσκῃ ὅτι οὐκ εἰς πλοσημονίῳ, ἀλλὰ εἰς ἁγιασμόν.



CAPVT PRIMVM, IN QVO  
refellitur sententia pontificiorum,  
ita vt eam explicat Bellarminus.

Thesis prima κατὰ σαοιῆ τῆς συρροῆσεως.



ON est presentis instituti omnem naturam sacrae dominicae  
caenae expedire. Hoc enim in libris nostrorum abunde  
est praestitum. Sed cum in Libro concordiae unica illa que-  
stio praecipue tractetur, qua agitur de vera praesentia cor-  
poris Christi in Eucharistia, ideo praeter illam nihil de  
negotio Eucharistico agere in praesentia debemus.

II.

Cum igitur veram praesentiam veri & essentialis corporis Domi-  
ni solidis scripturarum ἀποδείξεσι, & infallibilibus uniuersae Ecclesiae  
testimonijs nuper ostenderimus: Nunc arma expedire contra Caluini-  
starum ἀποδείξει debebamus.

III.

Quia verò Papistarum transsubstantiatio non minus in libro  
Concordiae rejicitur, quam Calvinistarum delirium, ideo antequam Cal-  
uinistarum ratiunculas, quibus suam opinionem fulciunt, refellamus,  
prius paucis contra Pontificios agemus.

IV.

Atq; ita duo nobis erunt è gemina aduersariorum acie produ-  
cendi duces, cum quibus in Monomachia congregiamur. Prodeat itaq;  
è pontificiorū agmine Robertus ille Bellarminus, & uniuersa sua robora,  
bellatula nimirum arma desperatae causae promat: Procedat in arenam  
huc è Calvinistarū exercitu Antonius Sadeele, & omnem aciem suorum  
telorum aliquando coram expediat.

V.

Recita tu nobis Bellarmine, sententiam matris tuae, meretricis  
illius Babylonicae?

VI.

Ecclesiae sententia est, inquis, rationem proximam & propriam,  
A s cur



cur sit in Eucharistia verum Domini corpus, esse totalem conuersionem  
substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Domini.

VII.

Explices etiam nobis hanc Ecclesiæ tuæ, id est, Anteclesiæ sen-  
tentiam?

VIII.

Tria, inquis, obseruanda sunt, quæ sententiam istam explicant:  
primùm conditiones conuersionis sunt exponendæ: deinde modus: ter-  
tio subiectum.

IX.

Ad primum quod attinet, quatuor requiruntur conditiones: Prima  
est, ut in Eucharistia elementa Panis & Vinum totaliter desinant esse.  
Nam ideo concilium Tridentinum dixit, conuersionem fieri totius substan-  
tiæ panis, id est, tam formæ quàm materiæ. Secunda conditio est, ut a-  
liquod succedat in locum eius, quod desinit esse. Tertia conditio est, ut sit  
connexio quadam & dependentia inter desitionem vnius, & successio-  
nem alterius, ita ut vnum desinat, alterum succedat, & vi desitionis fi-  
at successio. Atque hinc intelligi potest, cur panis in Eucharistia  
reuera non annihilatur, licet nihil eius remaneat post consecrationem,  
quia nimirum actio, per quam panis desinit esse, non terminatur ad  
nihil, sed ad aliquid, nimirum ad corpus Domini, annihilatio autem est  
actio, que terminatur ad nihil. Quarta conditio est, ut tam termi-  
nus à quo, quàm terminus ad quem, sit verè positius ante conuersionem,  
sed post conuersionem terminus à quo, simpliciter desinat esse, ita ut ne  
materia quidem prima supersit.

X.

Secundò, quod ad modum conuersionis attinet: tribus modis fieri  
potest conuersio. Nam si terminus ad quem non existat, vi conuersio-  
nis necessariò producet, & inde vocatur à quibusdam ea conuersio  
productiua. 2. Si verò terminus ad quem existat, sed non in eo loco, ubi  
est terminus à quo, tunc vi conuersionis adducetur ad eum locum, &  
inde vocatur ea conuersio adductiua. 3. si deniq, terminus ad quem ex-  
istat, & in ipso loco eodem, ubi est terminus à quo, tunc vi conuersionis  
non

non producetur, neq; adducetur terminus ad quem, sed solum conseruabitur, & inde dicitur ea conuersio conseruatiua. Ex his colligimus conuersionem panis in corpus Domini non esse productiuam, nec conseruatiuam, sed adductiuam, quia facit, ut corpus Christi incipiat esse sub speciebus panis.

## XI.

Deniq; quod ad subiectum attinet, notandum est, subiectum in quo recipitur actio diuina huius conuersionis, partim esse panem, partim corpus Christi.

## XII.

Audiuimus tuam sententiam pulcellam profecto & bellulam. Itaq; siste gradum. Hac enim nobis prius examinanda erit, quam ad telorum tuorum pharetram accedamus.

## XIII.

Primum igitur conditiones tue  $\mu\epsilon\tau\alpha\sigma\tau\alpha\sigma\epsilon\omega\varsigma$ , plane sunt ridiculae, & nullo scripturae fundamento nituntur, nisi quod axioma Tridentini conciliabuli pro firmamento adducis. Tu affirmas, quod panis desinat esse: ego contra assero, quod minimè desinat, sed maneat. Vter scripturam habuerit, victor erit. Itaq; hunc accipe ex verbis institutionis syllogismum:

Quod est, illud non desijt esse & fuit: nisi esse & fuisse, praeteritum & praesens,  $\tau\omicron\ \mu\grave{\eta}\ \delta\epsilon\ \nu\omicron\ \tau\omicron\ \delta\epsilon\ \delta\epsilon\ \alpha\upsilon\tau\omega\sigma\epsilon\gamma\iota\alpha\ \&\ \upsilon\omega\sigma\epsilon\gamma\iota\epsilon$ , tibi sit idem.

Sed Christus dicit de Pane: Accipite, comedite: Hoc est, nec dicit, hoc fuit.

Ergo panis in sacra Coena est, & non desijt esse.

## XIV.

Accipe etiam istum ex Apostoli verbis: Panis post consecrationem seu benedictionem, de quo Paulus dicit: Homo probet seipsum, atq; ita edat de pane hoc, aut  $\delta\upsilon\tau\omega\varsigma$  & reuera est panis, aut  $\delta\omicron\mu\omega\nu\mu\omega\varsigma$  est panis, hoc est, aut ipsa sua  $\delta\upsilon\sigma\iota\alpha$  est panis, aut nudo nomine, non ipsa essentia.

Sed non est  $\delta\omicron\mu\omega\nu\mu\omega\varsigma$  panis: mentiretur enim Paulus, imò Spiritus sanctus in Paulo, quod impium. Quid enim Philosophus?

ἔι μὴ ὑπάρχῃ τὸ πρᾶγμα, ὁ λόγος ψεύδεται: ( Arist. 1. πρὸς ἔρμ. cap. 10 )  
Nisi res ipsa praesto sit, falsa est oratio.

Ergo etiam post benedictionem in sacra Coena verus est panis, ubi  
autem verus est panis, ibi non potest desisse & abolitus esse panis.

XV.

Sublata prima conditione Bellarmini, ultrò concidit secunda &  
tertia. Nam si panis non aboletur, neq; succedet aliquid aliud in eius  
locum, neq; inter id, quod fuit, & id, quod sit, vlla erit dependentia.

XVI

Sed quàm stultè ratiocinatur Bellarminus, & quàm turpiter sibi  
ipse contradicit. Nonne haec sunt contradictoria?

Panis ita aboletur vt nec forma, nec materia, nec partes vllæ  
sint reliquæ.

Neq; tamen panis annihilatur, hoc est, in μὴ ὄν redigitur.

XVII.

Indignum est hoc argumentum, ad quod Spiritus sancti gladium &  
scripturam adhibeam, ex Philosophia discutiam. Ens dupliciter dici-  
tur, ἢ καὶ αὐτὸ, ἢ καὶ συμβεβηκός, aut substantia, aut accidens: (de-  
monstratum tradit Philosophus 4. Metaphys. 7, & 8.) De ente acciden-  
tali non agam, cum Bellarminus in eo totus sit, vt persuadeat nobis abo-  
lita substantia nihilo minus manere accidentia panis. Iam substantia tri-  
plex est: 1. τὸ μὴ ὡς ὕλη, materia: 2. τὸ δεῖν ὡς ἢ ἐντελέχεια, rei formæ:  
3. τὸ ἐκ τούτων compositū ex materia & forma. (2. de Anim. 1.) Neq; plu-  
res sunt entis species. Iam potest ne inter τὸ ὄν & μὴ ὄν dari intermediū?  
Affirmavit id Antisthenes, qui omnem ἀνυλογίαρ ἐ medio sublatam  
voluit: sed affirmavit ἐν ἠθω, stultè, & ἀνωμαδ' εὐπιδεῖ, inscitè, 4. (Metaph  
29. & 7. Metaph. 3.) Quod si igitur sublata essentia succedit non essentia  
& mera ἀνυπαρξία, nihilq; inter ὑπαρξίην & ἀνυπαρξίαν interiacet, quid ter-  
giuersatur Bellarminus? Nā in Eucharistia de ipsius opinione cadit mate-  
ria panis, non modò secunda & propinqua, sed etiā prima, extinguitur  
forma, abolentur omnes partes. Nihil igitur remanet quod essentia quic-  
quam habeat. Anne verò istud non est nihil? Imò maximè est. Cum  
enim nō ens in substantia aliud sit καὶ σὺν σὶν priuatiuū, quale est mate-  
ria.



86  
ria prima, aliud uox ἄνευσις negatiuum, quale est nihil, ex quo nihil fieri potest secundum naturæ conditionem: Et Bellarmino materia quoque prima, & habitas illa atque commune ὑποκειµένον formarum, tollatur: patet, quod panis planè in nihil negatiuum redigatur. Et hoc est annihilari. Vides opinor deformem tuam, Bellarmine, ἀντιφάσις.

XVIII.

Sed quia è physico myrothecio cerussam depromis, eaque speciem aliquam tuæ impudentiæ inducere conaris, lubet illam quoque attendere. Annihilatio, inquis, est actio, quæ terminatur ad nihil. Id quod etiam cernimus in naturali transmutatione. Nam cum aqua vertitur in aërem, nihil prorsus remanet formæ aquæ, & tamen ea forma non annihilatur, quia actio, qua illa destruitur, non terminatur ad non esse illius formæ, sed ad esse formæ aëris.

XIX.

Tuam, Bellarmine, μεταστώσις confers cum naturalium corporum generatione & corruptione, & inde concludis: sicut in naturalibus elementorum permutationibus non habet locum annihilatio, ita in Transsubstantiatione locum non habet. Sed bone Deus, quantum hic agis Sophistam.

XX.

Primum enim cum de mutatione aquæ in aërem loqueris, duos motus in unum confundis. Est enim φθορά & corruptio aquæ, qua forma aquæ aboletur, & est γένεσις generatio, qua sublata formæ aquæ succedit noua forma aëris, manente communi subiecto & receptaculo formarum, quod est materia prima.

XXI.

Deinde magna in exemplis est dissimilitudo. Nam in elementorum mutationibus idcirco non habet locum ἐξδένωσις, & in nihil negatiuum interitus, quia, quæcumque tandem fiat rerum naturalium mutatio, semper manet materia prima, quæ obstat, quo minus ex nihilo aliquid fiat, vel in nihilum intereat. Sed tu in tua μεταστώσις ita abolebas panem, ut ne commune quidem illud sustentaculum formarum esset reliquum. Quid igitur tua μεταστώσις cum elementorum mutationibus vel simile vel commune habeat, indicare non potes. Denique, vide mihi, quæso, in quæ te absurda præcipites hac ipsa similitudine. Denique

## XXII.

Deniq, que est queso illa dependentia & successio, quam tu fingis? Nam in rebus naturalibus forma forme succedit, & aqua abit in aërem, eò quòd materia prima còmunis est, & quòd priuatio materiae adheret, que estabilitas, qua aqua suâ naturâ ita affecta est, ut ex illa aër fiat. Num verò hic ita se res habet? Nequaquam. Nam hic nihil de substantia panis transit in corpus Christi, cum & forma & materia & omnes partes panis intereant, quomodo igitur non esset panis annihilatio, & quomodo vlla hic fingi potest dependentia & successio: siquidem subiectum, quo excipiuntur forme, que sibi mutuo succedunt, prorsus interit.

## XXIII.

Quod porro Bellarminus de triplici modo mutationis, productiuo, adductiuo & conseruatiuo nugatur, id non modo barbarum, sed etiam ineptum est.

## XXIV.

Nam si aduertas, quomodo has mutationes describat, videbis Sophistam vocabulis barbaris & insolitis glaucoma imperitorum oculis oblinere. Quid enim aliud est productiua mutatio, quam generatio, qua id, quod non erat, producitur? quid adductiua mutatio aliud, quam localis motus, quo id quod existit, traducitur in alium locum? quid verò conseruatiua sit mutatio, id, nec ipse vllò dato exemplo explicat, nec facile concipi mente potest. Ideoq, ut argumentum hoc obtineat, fingit nescio quam corporum vel penetrationem, vel mutuam consumptionem, cuius ratio nemini constare potest. Et quid verò ad rem presentem?

## XXV.

Siquidem præter adductiuam mutationem non admittit ipse hic aliam.

## XXVI.

Et verò hæc adductio ita comparata est, ut eiusmodi absurda insint. Primum enim corpus Christi cælo deducitur. Negat id Bellarminus, sed ut ut neget, nihil profectò aliud ex ipsius descriptione quam  
localis

localis deductio corporis Christi consequitur. Nam si corpus Christi extra Cœna usum est in cœlo & non alibi, ut contendunt Iesuitæ & Calvinizantes, & vi verborum institutionis inde eò detrahitur, ubi antea non erat, habes localem motum. Licet enim hîc duo loca tanto intervallo disjuncta, quanto distat terra à cœlo Iesuitico & Calviniano, ubi corpus Christi utriq; arresto hæctenus deuinxerunt, animadvertere. Et quid ad motum localem amplius?

## XXVII.

Deinde nulla alia transmutatio panis in sacra cœna erit, quàm localis. Nam omnis mutatio à termino ad quem denominatur & desinitur. Iam siue corporis Christi siue panis respectu, consideres terminum ad quem, utrobique locus est. Corpus enim Christi deducitur de cœlo & occupat locum panis, panis ita abit in corpus Christi, ut panis nihil sit amplius, sed ut corpori Christi locum cedat. Quare utrobique motus est localis, panis quidem cessio, qua & locum sui & seipsum deserit, corporis verò Christi accessio, qua locum panis occupat.

## XXVII.

Quid autem absurdius tum in Philosophia tum in Theologia hoc anili commento? Nam quod ad Philosophiam, necesse habent corporis naturalis etusmodi introducere interitum, quo illud planè in nihilum abeat, aut si in nihilum non abeat, fingunt nihilominus panem suum locum cedere corpori Christi, unde fit, ut panis desinat occupare locum. In Theologia verò, quòd corpus Christi, quòd in statu gloriæ omni conditione naturalium corporum, atq; ita etiam localitate solutum est, in locum panis substituunt, & non modo terrena vite & cœlesti, sed quòd deterius est, panis insuper duobus regibus subiiciunt. Sed de eo postea aliquid amplius.

## XXIX.

Ex his omnibus satis liquidò apparet, quàm inepta iuxta & impia sit Iesuitarum opinio de transsubstantiatione, & quòd non modò scripturæ demonstrationibus destituatur, sed etiam nulla probabili ratione è Philosophia pingi queat.

B

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.  
IN QVO REFVTANTVR ARGV-  
menta Bellarmini suæ sententiæ

ΚΑΤΑΚΗΛΟΥΣΙΝΑ.

Thesis prima.

**E**A interim hominis est impudentia, ut non dubitet ex scriptura & ex patribus orthodoxis, & ex rationis conuenientia suum Sophisma fulcire. Proinde opera precium est isthac argumentorum, nullius licet momenti, momenta ponderare.

II.

Ex scriptura tale profert argumentum Bellarminus: Verba institutionis, hoc est corpus meum, necessario inferunt, aut mutationem metaphoricam, aut veram mutationem panis. Sed non metaphoricam, qualem volunt Calviniani, quam Lutherani quoq; refutant. Ergo inferunt veram, qualem Catholici statuunt. Maiorem probat dupliciter: Primum, quia impossibile est, ut vera res non mutetur, & tamē fiat altera. Deinde argumento logico ita: Quia in propositione affirmatiua necesse est, ut subiectum & predicatum pro eodem supponat, alioqui esset falsa predicatio: cum disparatum de disparato enuntiari nequeat. Corpus verò Domini & panis sunt res diuersissima, Ergo de altera non potest predicari altera, nisi interueniente mutatione.

III.

Respondeo. In maiore committitur fallacia à non caussa ut caussa. Nulla enim caussa est, ob quam in verbis cœnæ vlla sit mutatio. Quod verò ad primam probationem attinet, est ψευδοργαφόρον. Id quidem verum est, quod una res non possit FIERI altera, nisi interueniat mutatio. Sed in verbis cœnæ nulla sit mentio τὸ γίνεσθαι, & FIERI: sed simpliciter τὸ εἶναι & ESSE. Christus non dicit, τὸ τὸ γίνεσθαι σῶμά μου, hoc FIT corpus meum, sed ait: Hoc EST corpus meum. Falso itaq; ascribuntur verba institutionis.

Quod

## IV.

Quod ad argumentum logicum attinet, committitur in eo fallacia ambiguitatis in termino unius. Nam unum varie dicitur, vel genere, vel specie, vel numero, & unum numero seu individuo vel est simplex vel compositum. (1. Top. 6. 4. Metaphys. 6. & 9.) Vnde certum quidem est, quod subiectum & predicatum pro eodem supponant, hoc est, sine eiusdem aut generis, aut speciei, aut individui. Sed non unius eiusdemque simplicis, verum compositi & uniti individui. Qua de re debebat hic ἀλογος & logicus cap. 15. libri de interpretatione, nec non caput πρὸς τὴν λέγουσιν consuluisse. Atque ita in sacra caena, panis & corpus Christi non sunt unum simplex suppositum, sed sunt ἕνωμα ἐνωσιν unitum, & unitum unione Sacramentali. Cum itaque unita sint, nihil obstat, quo minus corpus Christi de pane dicatur, sicut in alijs unionis modis, ut in unione personali Christi, & in compositione rerum naturalium fieri solet.

## V.

Sed Physicum quod adduxerat argumentum seipsum quoque evertit. Sic enim contra transmutationem infero. Impossibile est, ut una res fiat altera, nisi commune sit subiectum & materia, quae unam formam amittat, alteram admittat. Sed in Eucharistia de sententia Loilstarum ne materia quidem panis est residua. Ergo impossibile est mutationem panis in corpus Christi ullam fieri.

## VI.

Diuina virtute & praeter rerum seriem istud fieri censent. Non nego diuinam potentiam legibus naturae solutam esse, & rerum ordinem pro liberrimo arbitrio mutare posse. Sed nisi scripturam adferant, qua probetur, Christum panem in suum corpus mutare, abolita panis materia & forma, minimè illis credemus. Scriptura euincendum erat, panem mutari in corpus Christi, & ita mutari, ut materia quoque aboleatur, non temerè absque scriptura asserendum.

## VII.

Quicquid enim de Dei voluntate & omnipotentia absq; manifesto Dei verbo assertitur, id eadem facilitate reijcitur, qua assertitur.

## VIII.

Sophisma logicum similiter sententiam pontificiam euertit. Nam ego sic retorqueo: Id quod est, non potest predicari de eo, quod fuit, & non est amplius: nisi praeteritum dicas esse praesens. Sed panis fuit, & non est amplius. Ergo de pane non potest corpus Christi predicari.

## IX.

Sed & D. Lutherus in libro de Captiuitate Babylonica Tom. latino VViteberg. 2. f. 67. argumentis memoria dignissimis, Transsubstantiationem refellit: in quibus suggillandis Bellarminus operam & oleum perdit.

## X.

Primum enim D. Luth. urget expressam scripturae sententiam, de qua supra sum argumentatus. Cum enim, inquit, Euangelistae clare scribant, & Act. liber cap. 2. & 20. & Paulus Apost. 1. Cor. 11. panem deinceps appellent: Ideo verum oportet intelligi panem, verumq; vinum, sicut verum calicem.

## XI.

Deinde ita eam euertit: Cuius rei nulla est ratio, id vt inutile signum humanae rationis merito reijcitur. Sed transsubstantiationis nulla ratio. Ergo. Nam quod pontificij ad diuinam potentiam prouocant, nihil est, nisi scripturam adducant, qua Deum ia velle & ordinare, vt panis in corpus Christi mutetur, liquido commonstrent.

## XII.

Tertio, si licet in sacra caena panem pro specie externa seu accidentibus panis accipere, cur non & omnia alia pro speciebus & accidentibus accipi liceret?

## XIII.

Quarto, Dicent fortasse pontificij periculum idololatriae cogere, vt non sit panis & vinum vere. Ridiculum hoc valde, cum subtilem Philosophiam de substantia & accidente Laici nunquam cognouerint, nec si docerentur, capere possint: Et idem sit periculum idololatriae saluis accidentibus,

dentibus, quæ vident, quod periculum est in substantia, quam non vident. Si enim accidentia non adorant, sed latentem ibi Christum, cur adorarent panem, quem non vident?

XIV.

Hæc Lutherus. Sed ad Antagonistam redeo, qui quidem anilis & putidi commenti nullam potest ex uniuersa scriptura rationem aliam adducere, quam quæ modo abundè refutata est. Proinde quid ex patrum monumentis proferat videndum est.

XV.

Principio quidem tenuiter & iniquè carpit D. Lutherum quasi Chronologie perdidit memoriam. D. Lutherus in libro modò commemorato figmentum Transsubstantiationis nominat Thomisticum, & dicit illud ante concilium, quod pontifex Innocentius III. Romæ in Lateranensi conuocauit, usq; ad annum Christi 1213. ignotum fuisse. Inde Bellarminus, cum nihil ad rem habeat dicere, ad calumniã se conuertit. Censet enim ex Lutheri verbis illud colligi, quod Thomam Aquinatem concilio Lateranensi antiquiorem esse putauerit, qui Anno Christi 1223. demum natus est à concilio annis decem. Sed nugæ hæc sunt ociosi Iesuitæ. Neq; enim de eo differit D. Luth. conciliũmne an Thomas sit antiquior, sed id ostendit, & verè quidem, quando transsubstantiationis somniũ publica autoritate Romane Ecclesie sit approbatum. Quasi verò non possit Thomistica dici opinio, quæ ante ipsum fuerit, sed non usq; adeò inculcata.

XVI

Sed ad rem accedendum est. Conatur enim Bellarminus probare transsubstantiationem concilio Lateranensi multò antiquiorem, imò perpetuam in Ecclesia Noui Testamenti fuisse.

XVII.

Et ad eam rem adducit multa Patrum testimonia, quæ quidem causse Papistice parim patrocinantur, siquidem contra mentem illorum pleraq; adducta sunt, itaq; breuiter de illis agemus.

XVIII.

Tertullianum in prima collocat acie, qui lib. 4. contra Marcionem scribit, quod Christus acceptum panem suum corpus faciat: Adiun-

B. 3 git

git Tertulliano Cyprianum, qui in sermone de Cæna Domini asserit, panem non effigie, sed naturâ mutari omnipotentia verbi. Atq; inde concludit Bellarminus, transubstantiationem illis Ecclesie doctoribus fuisse notam, & ante annum Christi C C C. in Ecclesia approbatam.

XIX.

Sed parata ex Ireneo, Augustino & alijs responsio. Conuersionem enim & mutationem equidẽ patres nominârunt, sed talem intellexerunt & definiuerunt, tum illi ipsi quos Bellarminus nominat, & qui eos antecessit, Ireneus, tum qui istis recentior est, Augustinus, quòd post sanctificationem non sit communis panis, neq; vulgare poculum, sed sit Eucharistia, duabus rebus constans: quarum una cælestis & inuisibilis est, corpus nimirum & sanguis Domini, altera terrena & visibilis, utpote panis & vinum.

XX.

Proximi ab istis post annum Christi 300. vsq; ad 400. floruerunt Cyrillus Hierosolym. Gregorius Nyssenus, Ambrosius & Gaudentius, qui & ipsi transmutationis & immutationis meminerunt.

XXI.

Neq; istis testibus suam causam tuebitur Bellarminus. Nam & hi aliam mutationem haudquaquam intelligunt, quàm illam, de qua Ireneus lib. 4. cap. 34. & Augustinus in sententijs Prosperi differit, qui aperte tradunt, in cæna Domini post consecrationem & factam mutationem nihilominus duas res esse, quarum neutra in alteram mutetur. Quòd verò elementa à vulgari vsu in sacrũ transferri & conditione sua mutari statuunt, non inuitus largior.

XXII.

Et prodeat hic Hesychius Gregorij Nazianzeni discipulus, qui sub Arcadio & Honorio circa A. C. 400. floruit, ille nobis indicare poterit, qualem eo tempore mutationem elementorum in sacra cæna Ecclesiasticĩ doctores tradiderint. Nam Hesychius libro 2. in Leuit. cap. 8. pag.

496.



496. duas consistetur in sacra caena substantias. Verba eius haec sunt: Propterea sacerdotibus veteris Testamenti, inquit, carnes cum panibus comedi praecepit Dominus, ut nos intelligeremus, illud ab eo mysterium dici, quod SIMVL PANIS & CARO EST, sicut corpus Christi panis viui, qui de caelo descendit. Propter quod Heliae secundum LXX. editionem, carnes mane, panes autem vesperi deferebant coru superne, praefigurare hoc mysterium Domino volente.

XXIII.

Quod si isto tam claro testimonio parum refutatam suam transubstantiationem arbitratur Iesuita, audiat, quaeo, quid idem autor de Ecclesia illius temporis eadem pagina scriptum reliquerit. Sic enim ait: Sed hoc quod reliquum est de carnibus & panibus, in igne incendi praecepit. Quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quaecumque remanere contigerit inconsumenta.

XXIV.

Quod si illis temporibus ea fuisset in Ecclesia opinio, quam hodie Pontifici tucntur, quod etiam extra usum sacrae caena sub accidentibus panis adsit verum corpus Christi, quod illi in persica pompa circumgestant & adorant, putasne illos igne ad reliquias sacri panis consumendas fuisse usuros? Minimè gentium. Corpori etenim Christi eam iniuriam inferri, nullo modo negare potuissent. Iam verò cum Hesychius testetur, in Ecclesia receptum fuisse circa annum Christi 400. reliquias sacrae caena sensibiliter cremare, manifestum est, quod haudquaquam statuerint reliquias illas ipsissimum corpus Domini esse. Dominicum enim corpus igne consumi nec potest, nec debet.

XXV.

Tertiam classem Patrum ex illis constituit Bellarminus, qui ab anno 400. vsq. ad 500. claruerunt, e quibus sunt Chrysostomus, Augu-



Augustinus, Cyrillus Alexandrinus & Eusebius Emiffenus. Qui iterum mutationis meminerunt.

XXVI.

Sed non est necesse singula excutere, in quibus parum presidij se habere ipse Bellarminus non obscure fatetur. Audiamus solummodo Augustinum suam mentem explicantem. Sic enim ille in sententijs Prosperi: Hoc est, quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, Sacramentum hoc DVOBVS confici, DVOBVS CONSTARE: Visibili elementorū specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine.

XXVII.

Neg, iuuabit Iesuitas, si vocabulum speciei, quo patres vtuntur, de accidentibus solummodo intelligere velint. Id enim Patribus in mentem nunquam venit, vt speciem appellarent accidentia, quæ nullam, cui insint, substantiam haberent, sed per speciem ipsam panis & vini essentiam intelligunt. Id quod inde maximè patet (vt alia nunc omitam) quòd patres illius temporis non minùs contra Eutychem, qui naturarum in persona Christi confusionem & abolitionem assererat, quàm contra Nestorium, qui persone Christi diuisionem comminisceretur, unionem sacramentalem vsurparunt, quod facere nullo modo potuissent, si panis essentiam mutari & penitus consumi ac aboleri censuissent. Hæc enim μεταστώσις, qua panis substantia in substantiam corporis Christi transit, non contra, sed pro Eutyche manifestissimè facit.

XXVIII.

Iam verò luce meridiana clarius est, quòd illos hereticos omnes, qui in vna ac indiuisa persona saluatoris nostri non confitebatur duas distinctas naturas, ἀσυχύτως, ἀναιδιώτως, ἀτρέπτως, ἡ διασάτως unitas, sed vel diuinam, vel humanam eius naturam negabant, & vel τοῦ λόγου in carnem vel carnis in λόγον τρωπῶν, conuersionem & transsubstantiationem somniabant, quòd, inquam, illos hereticos omnes veteres illius temporis patres, sicut & recentiores, ex vniōne duarum diuersarum specierum seu rerum, corporis Christi & panis Sacramentali vniōne, quæ fit in sacra Eucharistia, grauissimè represserint. Quemadmodum hoc  
vide-

videre est apud Iustinum in Apol. 2. apud Cyprianum in sermone de  
caena Domini, Augustinum in sententijs Prosperi, Chrysostomum ad  
Caesar: monachum, Gelasium contra Nestorium & Eutychen: Theodo-  
retum dialogo 2. & alios.

XXIX.

Atq; haec quidem tam sunt clara, ut in meridie cecutiat, qui pa-  
tribus illis Transclementationis stolidum & impium figmentum ad-  
scribere conatur. Nil igitur de Papistica μεταστοιχείω in Ecclesia annis à  
Christo nato quingentis cognitum vel auditum fuit, imò Bellarminus,  
utut omnes ingenij nervos intendat, ut etiam omnia antiquitatis scrinia  
peruestiget, & uniuersam suam bibliothecam ac memoriam excutiat,  
non potest unicum producere patrem, qui ante annum à Christo exhibitio  
800. substantie mutationem nominarit.

XXX.

Nam quo sensu illi, quos haectenus commemoravi, mutationem di-  
xerint, ex allatis patet argumentis. Quid autem Damasceno lib. 4-  
cap. 14. sit μεταποίησις, quid Theophylacto in cap. 6. Ioh. transformatio,  
ex yisdem autoribus liquidum est. Sic enim Damascenus scribit: Car-  
bonem vidit Esaias, carbo autem simplex non est, sed unitus igni: Sic  
panis communionis, non panis simplex est, sed unitus diuinitati. Et  
corpus unitum diuinitati, non una ac eadem cum illa NATURA  
EST, SED VNA CORPORIS, ET VNITAE DIVINI-  
TATIS ALTERA.

XXXI.

Proinde etsi Damascenus scribit, panem μεταποίησιν in corpus Sal-  
uatoris: Tamen haudquaquam intelligit papisticam panis abolitionem,  
sed panis in alium statum translationem, qua nudus panis eò dignitatis  
adhibetur, ut corpori Domini nostri Iesu Christi sacramentaliter unia-  
tur.

XXXII.

Idq; istis constat rationibus. Primo, quia apertè dicit in sacra cae-  
na duas res esse diuersas: deinde, quia modum unionis appellat ἀνεξέσθη-  
τον & ὑπὲρ φύσιν, supra naturam, & humano ingenio minime  
obutum

C



obuium: tertio, quia confert unionem sacramentalem cum unione personali, in qua nulla fit naturarum abolitio & confusio: quarto, quia sacramentalem mutationem panis confert cum mutatione nutrimenti in humano corpore. Nutrimenti verò substantia minimè aboletur, sicut in sua μετεσώωσι Pontificij tradunt, naturam panis adeò aboleri, ut ne materia quidem prima residua maneat. Ac deniq;, etsi tradit post mutationem non esse duas res, sed unam, tamen hoc ipsum illis opponit, qui panem dicebant esse inanem τύπον & symbolum absentis corporis Christi: contra hos asserit, post benedictionem è duabus rebus factam esse unã, & corpus Christi non ita abesse à pane, ut substantia tam longè inde separata quàm procul abest summum cœlum ab ima terra, ut hodie Calviniani scriptitant.

#### XXXIII.

Neg, alia Theophylacti est sententia, qui in cap. 6. Iohannis unionem sacramentalem cum unione personali comparat. Sicut enim λόγος ideo induit humanam naturã, ut nobis se manifestare posset, cum nudus Deus videri & tangi nequeat, ita in sacra cœna sub assuetis & familiari nobis cibo & potu suum corpus & sanguinem, à quibus, si nuda exhibeantur, abhorreremus, nobis communicat: & in 1. Cor. 10. explicans verba Pauli, Panis benedictus est communicatio corporis, istam tradit regulam papistica Transsubstantiationi è diametro oppositã: aliud est quod communicat, & alius qui communicat. Hinc enim sequitur, quòd Panis non transeat in corporis Christi essentiam, alioquin nulla posset intercedere communicatio, siquidem communicatio semper in duobus versatur, quorum alterum κοινωσις communicat, alterum μετέχη participat.

#### XXXIV.

Atq; hæc enus testimonia purioris Ecclesiæ excusimus, ex quibus patet, transsubstantiationis figmentum ne nominatum quidem fuisse, usq; ad Damasceni tempora, qui circa annum Christi 435. sub Theodosio clarus fuit, ut testantur Suidas, Volaterranus, Trithemius & Casianus, vel certè circa annum Christi 730. vixit, ut alij ex illis, quæ contra ἐκκονομίας scripsit, ea tempestate exortos, colligunt. Bellarmini itaq; calculo 800. annis in Ecclesia silentium fuit de hoc monstro papistico.

Postea

XXXV.

Postea subsequuta sunt obscuriora tempora, quibus diabolus varius de hoc mysterio concertationes excitavit, & idololatricum suum Maozim furtim in Ecclesiam introduxit. Sed tamen ne tum quidem ita fuit approbata Transsubstantiatio, ut pro articulo fidei obtruderetur, & diuersum sentientes anathemate damnarentur, quod Tridentini conciliabuli patres, & illorum succenturiatus Bellarminus facit.

XXXVI.

Omnibus itaq; illis testimonijs, quae adducit Bellarminus e postremo illo seculo, satis est, si Lombardi opponatur sententia, quem quidem bonus hic catholicus vix audet attingere. Nam cum alioquin in fronte eius soleant collocare auctoritatem, non inepte profecto Iesuita hoc loco illum in reliquum vulgus loco obscurissimo retrusit, & strictim solummodo duas eius voculas adscripsit.

XXXVII.

Magister itaq; sententiarum libro 4. dist. undecima, de modo conuersionis diuersas recitat sententias, quae tunc temporis in Ecclesia fuerunt: & incertus cui adhaereat, ita scribit art. 1. Si quaeritur, qualis sit illa conuersio, an formalis, an substantialis, vel alterius generis, definire non sufficio: Item articulo tertio Augustini sententiam recitat: Si vero quaeris modum, quo id fieri possit, breuiter respondeo. Mysterium fidei credi salubriter potest, inuestigari salubriter non potest. Vnde patet quod circa annum Christi 1159. quo Sententiarum Magister Parisiorum fuit Episcopus, Transsubstantiationis anathema nondum editum fuerit.

XXXVIII.

Pudeat igitur mendacem Bellarminum suorum XXXII. testium, quorum testimonia pessima fide adscribere non erubuit, ut ostenderet idolum Maozim ab Apostolorum usq; temporibus semper in Ecclesia approbatum fuisse.

XXXIX.

Cum autem Innocentius III. circa annum Christi 1200. finem imponere vellet scholasticorum digladiationibus, modum conuersionis determinauit, & nouo sigmento quoq; nouum atq; horridum nomen imposuit, & Transsubstantiationem appellauit. Sicut verba concilij Lateranensis lib. 1. Decret, cap. firmiter, extant.

C 2      Ac



## XL.

Ac licet tunc approbata fuisset illa sphynx papistica, quod substantia panis transeat in substantiam corporis Christi, nihilominus & ipse Innocentius & Scotus Cameracensis, & Scholastici, post illud concilium eam sententiam, quae dicit, in sacra cæna manere substantiam panis, non modò non anathemate percusserunt, sed haud obscure quoque probârunt, & minus absurdarum questionum habituram doctrinã de Eucharistia, si absit transubstantiationis idolum, statuerunt.

## XLI.

Non cumulabo antiquitatis plura testimonia, sed duo saltem coronidis loco adyciam. Cum enim adeò impudentis & perfrietae frontis sint Pontificij, & imprimis Iesuitæ, ut transubstantiationem dicant catholicum omnium gentium & populorum, qui Christianam fidem verã amplexi sunt, dogma fuisse, os istud impudens illis paulò fortiori adhuc repagulo obstruendum est.

## XLII.

Si enim quis probationem huius tam arrogantis & superbae iactationis requirat, producant patrum testimonia, in quibus dicunt panem fieri corpus Christi, aut transmutari in corpus Christi, aut similes. Neque interim explicant, quo sensu patres μεταβολὴν illam tradiderint.

## XLIII.

Proinde alterum ex graeca, alterum ex latina Ecclesia testem conclusionis loco adducam, quibus non per obscuram coniecturam, sed certissima demonstratione discere poterimus, quid de illa patrum mutatione sentiendum sit.

## XLIV.

Theodoretus itaque Cyri episcopus, qui Ephesine synodo interfuit, & in Chalcedonensi quoque suam laudem habuit, circa annum Christi 466. in dialogo primo, qui inscribitur ἀπερίτῳ, pag. 8. edit: græc: Rom. eam μεταβολὴν seu transmutationem, quam tum ipse, tum alij Graeci in ore habent, quoties de Eucharistiae mysterio loquuntur, ita describit: Dominus voluit eos, qui diuinorum mysteriorum sunt participes, seu, qui ad sacram cænam accedunt, non intentos esse naturæ elementorum, quæ videntur

dentur, sed per nominum mutationem eò instigari, ut fidem adhibeant  
ei mutationi elementorum, quæ sit ex diuina gratia. Idem itaq; Chri-  
stus, qui naturale corpus cibum & panem nominauit, quiq; se  
ipsum etiam uineam nuncupauit, ille quoq; symbola, quæ uidentur, ap-  
pellatione sui corporis dignatus est: οὐ τῶν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τῶν  
χάριτι τῆ φύσιν προσεθεῖκώς, non naturam immutando, sed gratiam na-  
ture apponendo.

XLV.

Vtrisq; repugnat hoc testimonium, Papistis nimirum & Calvinianis.  
Nam etsi Romanus pontifex in prologo editionis græcæ dialogorum Theo-  
doreti lectorem de hoc testimonio moneri uoluit, ut illud iuxta decre-  
tum synodi Tridentinæ, tum habita cùm editio uulgabatur, intelligere-  
tur: tamen synodus, quæ scripturæ destituitur testimonio, minimè ius ha-  
bet, patres, qui ante ipsam fuerunt, pro libitu in suam sententiam rapis-  
endi, sed illa patres, quatenus ipsi scripturam ducem habent, sequi de-  
bet. Dicit itaq; Theodoretus, mutationem illam fieri per προσθεσις, ita  
ut terreno pani accedat donum gratiæ, quod est corpus Christi: dicit  
item, naturam panis non aboleri. Si Calviniani hoc testimonio uelint ab-  
uti, eò quòd ait, symbola sortiri προσκομιὰν & appellationem corporis  
Christi, nihil illos inuat, siquidem Theodoretus non nudam ἑνομάτωρ  
προσκομιὰν, sed τῆς χάριτι & gratiæ & corporis Christi ueram προσθεσις  
& presentiam statuit.

XLVI.

In secundo Dialogo non minùs clarum huius rei testimonium extat,  
pag. 38, ubi non modo affirmatiuè, sed etiam negatiuè Transubstan-  
tiationem oppugnat & reijcit. Cùm enim Apollinarista, cum quo illi  
disceptatio est, assereret, humanam naturã Christi post ascensionem aboli-  
tam esse, & ad huius opinionis confirmationem adduceret mysterium  
sacræ cœnæ, in qua post consecrationem censet panem in corpus Christi  
transsubstantiari: Ibi contrarium infert Theodoretus, & ita dicit:  
Captus es iisdem retibus, quæ tetenderas. Neg, enim, inquit, mystica  
Symbola post sanctificationem PROPRIAM SVAM NATV-  
RAM AMITTUNT: MANENT ENIM IN PRIORE



*SVA NATURA, & retinent priorem figuram, & speciem, & ut prius tangi possunt, & videri: id verò quod facta sunt intelligitur, & creditur, & adoratur, quod sint ea ipsa, quæ intelliguntur.*

**XLVII.**

*Pontificiorum transsubstantiationi in hoc testimonio obstat primum illa ἄρσις, negatio fortissima. Nam Bellarminus ait: Panis essentiam adeò annihilari, ut ne materia quidem prima sit reliqua. Id negat Theodoretus, dum asserit, Sacramentalem mutationem non esse ἐκσασίην τῆς οὐκείας φύσεως, abolitionem propriae naturæ. Manet itaq; φύσις, quæ est materia & forma panis: & manet σῆμα, & constans sine omni corruptione & interitu. Deinde eandem euertit illa contraria θείσις, evidentissima. Pontificij dicunt, Naturam panis annihilari penitus. Theodoretus contra: μέν ἐστὶ τῆς προτέρας οὐσίας. Vides hic mihi μὴ οὐδὲν, vides τὴν προτέραν οὐσίαν.*

**XLVIII.**

*Audiamus nunc alterum quoq; testem è Latinis, & Pontifex committatur cum Pontifice. Nam Gelasius Pontifex, qui circa annum Christi 500. vixit, in libro de duabus naturis Christi, contra Eutychen & Nestorium, ait, Panem & vinum in diuinam transire, sancto Spiritu perficiente, substantiam, corporis scilicet & sanguinis Christi. Quis non iuraret, hanc sententiam pro Pontificiorum transsubstantiatione facere? Sed quid sibi velit Gelasius, cum dicit, Panem & vinum transire in diuinam substantiam, id perspicuis ilicò verbis interpretatur. Sic enim subiicit: Ita transeunt in substantiam corporis & sanguinis Christi, ut tamen substantia vel natura panis & vini non desinat. Item transeunt in diuinam substantiam, permanente tamen pane & vino in sua proprietate naturæ. Idq; simili exemplo vnionis personalis explicat: sicut in Christo due naturæ, ex quibus constat, propriè permanent. Quid verò est, quod Gelasius affirmavit, panem & vinum transire in diuinam substantiam? Audi porrò rationem eius locutionis: Ideò, inquit, dicuntur transire in diuinam substantiam, quòd per ea diuina efficiamur consortes naturæ, communicato nobis & corpore & sanguine Christi.*

*Tam*



X L I X.

Tam clarum hoc est Romani Pontificis contra pontificiam transsubstantiationem testimonium, ut Caspar Contarenus Cardinalis, qui à Pontifice ad Colloquium Ratisbonense, anno 1541. legatus fuerat missus, obstupuerit, cum à nostris audiuisset. Et tanta nihilominus est Iesuitarum & concilij Tridentini impudentia, ut de perpetuo Ecclesie consensu gloriari non dubitent.

L.

Valeat itaq; cum suis Bellarminus. Nam quod ad ratiunculas eius attinet, indignæ sunt operosa refutatione, cum ex cerebro humani ingenij, non ex scriptura depromptæ sint.

CAPVT TERTIVM;

CONTINENS FVNDAMENTA,  
quibus nostri contra Sacramentarios vtuntur  
in refutanda illorum opinione.

Thesis I.

AD Sacramentarios itaq; nunc accedamus, & quo pacto nostri veram veri & essentialis corporis Christi præsentiam contra illorum ἀπορία defenderint, videamus. Antequam autem argumenta illorum præcipua excutiamus, fundamenta nostræ sententiæ explicanda sunt.

II.

Ac diligenter hîc obseruandum est discrimen inter duo argumentandi genera. Aliud enim est genus argumentandi κατασκευασικόν, & ἀποδεικτικόν, quando veritatem ex proprijs, primis, immediatis & veris principijs ac causis demonstramus: id quod superiore disputatione factum est. Aliud item argumentandi genus ἀνασκευασικόν, in quo ea, quæ veritati obijciuntur, solide refellimus: ad quod genus hæc fundamenta pertinent, quæ nunc recitabimus.

III.

Quod discrimen ideo inculcandum est, ut calumnia illa Sacramentariorum πολυβύβητος & retundi queat, quæ clamitant:  
Lutheranos



Lutheranos à presidio verborum institutionis deiectos, alia ex alijs principijs suae causae querere adiumenta. Non sumus deiecti, neq; deieci-  
mur: & stabunt illa verba, Hoc est corpus meum, firma & inconcussa,  
ad extremum usq; iudicium: eaq; verba unicum sunt nostrae causae pre-  
sidium: neque praeter illa quidquam ad confirmandam corporis Christi  
in sacra caena praesentiam hucusq; adhibuimus. Christi etenim ordina-  
tio & sanctio est medium  $\alpha\omega\sigma\delta\epsilon\kappa\tau\iota\kappa\omicron\mu\kappa\alpha\theta\omicron\lambda\epsilon\pi\epsilon\zeta\omega\tau\omicron\mu$  &  $\kappa\alpha\theta'\alpha\upsilon\tau\omicron$ , quod  
porta inferorum non euertent.

IV.

Quod verò interim alia quoq; argumenta à nostris usurpata sunt,  
id nō tam nostra sponte quàm ab aduersarijs compulsi, neq; tam nostra as-  
serendi, quàm illorum obiecta refellendi causa fecimus. Cū enim illi  
verae praesentiae corporis Christi in sacra caena opponerent corporis Christi  
naturales proprietates & ascensionem ad caelos, coacti fuerunt Ortho-  
doxi ad ea argumenta ex iisdem locis, unde deprompta erant, respondere.

V.

Quatuor igitur fundamenta D. Lutherus obiectionibus Caluini-  
anorum opposuit in libro Confessionis maioris, quae sic habent:

VI.

Primò quando aduersarij Calvinistae sic argumentantur: Veri &  
naturalis corporis proprietates non patitur, ut illud in sacra caena in, cum  
& sub pane sit praesens, ibi nos ex eodem loco à persona Christi hoc obie-  
ctum refellimus, & argumentum illorum  $\nu\lambda\iota\epsilon\beta\iota\omicron\alpha\omicron\mu$  hoc pacto inuer-  
timus.

VII.

Vos Calviniani conceditis utiq; Christum secundum diuinitatem  
suam in sacra caena & ubiq; praesentem esse? Nonne? Atqui Christus con-  
stat duabus naturis, diuina & humana  $\delta\epsilon\omega\mu$ ,  $\kappa\alpha\iota\alpha\epsilon\upsilon\omicron\upsilon\mu$ ,  $\alpha\pi\omicron\theta\epsilon\sigma\iota$ , ut  
græci locuti sunt: Et duae naturae in Christo iuxta symbolum Chalcedo-  
nense unite sunt non modo  $\alpha\tau\epsilon\iota\pi\omega\epsilon$  &  $\alpha\sigma\upsilon\chi\upsilon\tau\omega\epsilon$ , sed etiam  $\alpha\chi\omega\epsilon\iota\sigma\omega\epsilon$   
&  $\alpha\delta\iota\alpha\sigma\alpha\tau\omega\epsilon$ : ita ut inter naturas unitas nullum omnino intercedat  
 $\delta\iota\omicron\sigma\mu\mu\alpha$ , & ubi est una natura, ibi necessario etiam sit altera, nisi di-  
uisionem personae Christi comminisci velitis. Ergo si Christus in sa-  
cra

95

era cœna adest secundum diuinitatem, quod vos conceditis, non poterit inde abesse secundum humanitatem. Aut si humanitatem eius inde arceatis, in istiusmodi absurda incidetis. Primum enim eam unionem duarum in Christo naturarum, quam non mors, non infernus dirumpere potuit, locorum spatijs distrahetis. Deinde inter ipsas duas naturas Christi unitas, & in ὁμοιότητι uno sibi intimè deuinctas, medium quoddam διασπασίαν inferetis. Tertiò, λόγος, qui presens à vobis in sacra cœna statuitur, panem sacrae cœnae, & non modò illum, sed homines ipsos, atq; adeò totum hunc inferiorem mundum sibi viciniorem habebit, quàm propriū suum corpus, in quo σωματικῶς uniuersa sua plenitudine inhabitat. Videtis itaq; quomodo personalis unio pro nobis militet. Quòd verò proprietates humanæ naturæ nihil vobis adiumenti adferat, id suo postea loco ostendetur.

#### VIII.

Secundò, quando Aduersarij Zuuingliani D. Luthero obiecerunt ascensionem ad cœlos, eodem illos gladio non minùs feliciter prostravit, quàm David olim Goliathem proprio ipsius iugulauit gladio.

#### IX.

Sic enim Zuuingliani argumentantur: Christus ascendit in cœlum. Ergo non potest sua carne in sacra cœna presens esse.

#### X.

Nos contrà. Quòd Christus ascenderit in cœlum, id largimur & credimus, sed quòd in loco aliquo cœli ita affixus sit, & veluti arrepto alligatus, ut inde prodire non ausit, id verò pernegamus. Quia cœlos penetravit, Hebr. 4. & superior cœlis factus est, Hebr. 7. & cōsedit ad dextram Dei in cœlestibus super omnem principatum & potestatem, super omnem virtutem & dominationem, Eph. 1. Et ascendit super omnes cœlos, VT IMPLERET OMNIA. Eph. 4.

#### XI.

Videte itaq;, quòd ascensio Christi & sessio ad dextram eterni patris minimè absentiam, sed potiùs presentiam corporis ipsius in cœna confirmet. Sic enim argumentamur:

D

Sedere

XII.

Sedere ad dextram Dei, est una cum Deo pari potentia & maiestate enter & praesenter omnia in caelo & in terra gubernare, seu ubiq; praesentem esse, non molis corporea magnitudine & extensione, sed omnium, quae sunt uspiam, rerum in infinita divina maiestate comprehensione, Ier. 23, Psal. 139. Es. 40. Act. 17.

Christus autem secundum humanam suam naturam sedet ad dextram Dei: Psal. 110. Phil. 2. Eph. 1. & 4. 1. Cor. 15. Matth. 26. v. 64.

Ergo Christus secundum humanam suam naturam omnia in caelo & in terra enter praesenterq; gubernat, & ubiq; praesens est, non molis corporea expansione, sed rerum omnium praesentissima comprehensione.

Quod si vero Christus secundum humanam naturam ubiq; praesens est: erit etiam in sacra cena.

XIII.

Tertium nostra caussa fundamentum est, quod Deus est verax in verbo suo, & verbum Christi, quo promisit se ad futurum in Ecclesia usq; ad consummationem seculi: Matth. 18. & 28. Ioh. 14. fallere non potest: neq; illud verbum Christi irritum est, quo dixit, se in sacra cena suum corpus nobis tradere. Sed de hoc fundamento in praecedente disputatione actum est.

XIV.

Quarto deniq; cum aduersarij à localitate argumentantur, & aiunt, unum naturale corpus non posse simul in diuersis locis esse praesens: item Christum reliquisse mundum, ibi nos respondemus, quod Deus varios modos habeat, & norit, quibus aliquo in loco esse queat.

XV.

Et unicum Christi corpus, (inquit Lutherus) triplici ratione potest alicubi esse. Primum  $\pi\epsilon\sigma\iota\gamma\acute{\sigma}\alpha\pi\tau\omega\epsilon$  &  $\phi\upsilon\sigma\iota\kappa\omega\epsilon$ , sicut in his terris conuersatus est, cum enim Hierosolymis esset, non fuit simul Roma: cum in cruce penderet, non tacuit simul in sepulcro. Et hoc modo deseruit hunc visibilem mundum, & finem fecit praesentiae  $\kappa\alpha\iota\iota\kappa\omega\iota\varsigma$   $\nu\epsilon\gamma\acute{\alpha}\iota\omicron\delta\iota\kappa\tau\iota\kappa\omega\iota\varsigma$   $\delta\upsilon\chi\acute{\epsilon}\sigma\tau\alpha\upsilon$ .

Alter

XVI.

Alter modus presentia corporis Christi est priori oppositus & ἀπὸ γὰρ πῶς, ἀδίασται ἡ ψὴ παντὶ ὡς ἄποσθ, quo Christus corpore suo corpora penetrare, & inibi se presentem exhibere potest. Sic in clausa erat ianua, cum illam transiret & ad discipulos intraret, Ioh. 20. Sic in obfignato sepulcri lapide, cum per illum corpus suum educeret. Ita e clausa matris suae ἀεὶ ὡς ἔθενσ aluo in lucem editus creditur. Ita in sacro pane cœne dominice absq; omni dimensione corporea præstò est. Ab angelis & gloriosis corporibus licet eius presentia exemplum capere: ab accidentibus item, ὡς τὸ ὡς, quæ licet non sint ἄϋλα, sed materiam adiunctam habeant, nihilominus in corpora sese penetrant. Ita radij visivi (siquidem visio sit extra oculum) aërem & pellucida corpora permeant: calor & lux aërem & aquam peruagatur, calor & humor in internos corporum meatus & sinus sese insinuant & infundunt.

XVII.

Hi duo modi sunt ὡς ἰσμενοι, & subiectivè insunt ac competunt corpori Christi, quibus Christus suum corpus certo aliquo loco vel πῶς ἢ ἀπὸ πῶς, & verè exhibet. Nam priore suum corpus more aliorum naturalium corporum loco & circumferentia locali in hac vita subiciebat: posteriore idem suum corpus certo aliquo ὡς nunc in statu vite æternæ exhibet, non quidem physico & circumscriptivo presentia modo, sed pro conditione corporis gloriosi & spiritualis.

XVIII.

Sed præter hos est modus quidam presentia planè ἀόρισθ, & ita quidem ἀόρισθ, ut μὴ πεφικὼς ὀρίξεισθ, eò quòd nullam habet rationem, quoad dimensiones & quantitates physicas, qui modus soli Deo peculiaris est, & in scriptura nominatur ea presentia, qua Deus omnia replet, & ὡς πανταχὺσθ omnipresentia.

XIX.

Quando verò de ista Dei presentia loquimur, necesse est, ut illam iuxta scripturæ sententiam determinemus. Scriptura itaq; omnipresentiam Dei describit per ὀρίσθ, negationem, & per θεσθ affirmationem. Primum enim ea presentia non ita intelligenda est, quod Deus veluti immensam quoddam corpus & ἀπεσθ extendatur, & per res omnes diffundatur, aut sicut olim Manichei somniarunt, Deum frustra-



tim in creaturas discriptum inherere. Cum enim Deus sit MENS incorporea, non potest instar corporea molis extendi, neq; etiam in re vlla includi. Deus enim non habitat in templis manufactis 1. Reg. 6. 1. Paral. 17. Act. 7. Caelum & caeli caelorum Deum non capiunt: 3. Reg. 8. 2. Par. 2. 2. Par. 6

XX.

Deinde in describenda Dei praesentia adhibet Spiritus sanctus quoque affirmationem, qua dicit, Deum omnibus rebus esse praesentissimum. Deus enim excelsior caelo est, & profundior inferno, Iob. 11. Psal. 138. & Amos 9. Si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Zebaoth, plena est omnis terra gloria eius, Es. 6. Caelum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum, Es. 66. Caelum & terram ego impleo, dicit Dominus, Jer. 23. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, Sap. 1.

XXI.

Tertio, modum & causam etiam aliquo modo exprimit, quod videlicet ista Dei praesentia non sit passiva, qua Deus contineatur & concludatur, sed quod sit activa & ενεργητικη, qua Deus omnia veluti manu contineat. Verbo, Deus non  $\sigma\omega\chi\epsilon\tau\alpha\iota$ , sed  $\sigma\omega\chi\epsilon\iota$ , non continetur, sed continet omnia: praesentia Dei non est  $\sigma\omega\kappa\epsilon\tau\iota$  contenta, sed  $\sigma\omega\kappa\epsilon\tau\iota\kappa\eta$  continens. Id quod apud Prophetam Is. 40. pulcerrime exponitur. Nam Deus tantus est maiestate sua, ut pugillo omnia maria metiatur, & uniuersum caelestem globum palmo complectatur: terram vero tribus digitis comprehendat. Vniuersae nationes si cum Deo conferantur, vix guttule rationem habent, quae situla adheret: & insulae quasi tenuis pulvisculus, & denique omnia, si cum immensa Dei maiestate comparentur, tam sunt exilia, quam est  $\acute{\alpha}\tau\omicron\mu\omicron$ , & gluma, quae forte statim adhaerescit, cuius in impellenda lance nulla omnino vis esse potest.

XXII.

Quandocumque igitur de omnipraesentia Dei loquimur, abesse debent omnes  $\chi\omicron\iota\iota\omicron\upsilon$  &  $\phi\omicron\sigma\iota\omicron\upsilon$  imaginationes. Nam aliqui ita ratiocinantur de Deo, quod procul absens a rebus & in supremo caelo desidens, vel emisso quodam omnipotentia sua radio, vel per internuncios inferiora haec gubernet

bernet, quæ Epicureorum phantasia Iobi 22. & Act. 17. refellitur. Alij  
contrâ Deum rebus creatis permiscet, & veluti animam quandam  
mundi per res creatas distendunt. Istis nugis opponuntur tres enumera-  
ta conditiones omnipresentiæ Dei, quarum prima statuit Deum esse  
ἄπασαν τὴν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, altera ostendit eius maiestatem καὶ ἀμείβησθαι  
τὴν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, tertia de-  
nig, causam indicat, quæ desumpta est ex immensitate Dei.

XXIII.

Nam cum ἄπασαν τὴν οὐρανὸν infinitum duplex sit, aliud actu, aliud potentia: Deus  
actu immensus est, & ita immensus non ut σῶμα τὸ ἀπείρητον immensum  
quoddam corpus, sed ut ἄπασαν τὴν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, hoc est, qui  
nullam omnino rationem habet, qua mensurari, finiri & includi queat,  
cum sit ἀσώματος & ἀμεγέθους, corpore & quantitate corporea ca-  
reat.

XXIV.

Quod itaq, iam ad corpus Christi attinet, primus sanè τὸ εἶναι ἢ τὸ  
περὶ εἶναι existendi modus competit ei, ἢ φυσικῶς, quatenus est naturale  
corpus, vel ψυχικῶς, ut Paulus nominat 1. Cor. 15: alter modus ei tribui-  
tur, ἢ πνευματικῶς καὶ δόξασθενος, quatenus est corpus glorificatum &  
spirituale, quod legibus inferioris huius mundi & nature prorsus solutū  
sua quidem mensura & quantitate in se constat, corporum verò terreno-  
rum & naturalium externis & ambientibus dimensionibus subiectum  
non est. In se ὡρισμένον, nature autem terminis & spatijs non inclu-  
sum. Postremus denig, modus corpori Christi adscribitur, non καθ' αὐτὸν,  
ut priores, sed per gratiam unionis hypostaticæ & sessionis ad dextram  
æterni patris.

XXV.

Hi tres modi in scriptura nobis sunt manifestè ostensi: An verò plures  
modos presentie Deus habeat, de eo nec dubitamus, nec disputamus. Suf-  
ficit istos indicasse, ex quibus liquidò constat, quòd Christus pro sua tum  
spiritualis & cælestis vita, in quâ ex hac terrena infirmitate translatus  
est, conditione, tum personalis unionis & sessionis ad dextram æterni  
Patris maiestate, suū corpus diuersis in locis simul exhibere possit, &  
quòd leges illæ physicae, quas Calviniani obtendunt, nihil contra nos con-  
cludant & euincant.

D 3

Atq,



Atque haec de fundamentis nostris contra fanaticos dixisse sufficiat.

CAPVT QVARTVM,  
IN QVO ALIQVOT ARGV-  
menta Antonij Sadeelis dissoluuntur.

THESIS I.

VT autem veritati fidem planè indubitatum & ἀμετάπτωτον faciamus, opera pretium est, ut argumenta quaedam aduersariorum Calvinistarum dissoluamus. Proinde sicut superiore capite primo & secundo Antesignanum Iesuitarum Bellarminum in medium adduxi: ita hic Antonij Sadeelis argumenta proferam.

II.

Primum ita arguit Antonius contra Inexistentiam corporis Christi. Hoc enim barbaro vocabulo veram corporis praesentiam nuncupat, ut horrida ἀδολεχία veritatem exosam reddat. Si realis Inexistentia corporis Christi, inquit, in, cum, sub pane, vel nudis eius accidentibus non eò spectat, ut corpus Christi & eius sanguinem spiritualiter ore animi & vera fide ad vitam aeternam manducemus, reicienda est. Si eò spectat, perperam & inutiliter ad illud assequendum adhibetur: ac proinde sic etiam erit reicienda.

III.

Respondeo, distinguendum esse inter finem ὡ, & finem ὄν, ultimum & intermedium. Ultimus quidem finis instituta sacrae caenae est, ut vera fide Christi beneficia eius sanguine parta nobis applicemus, quae est spiritualis carnis & sanguinis Christi manducatio, de qua Iohan. 6. agit, eaq; sit etiam extra usum sacrae caenae. Interim autem finis proximus & proprius sacratissimi huius epuli est, ut vera & essentiali, neque tamen Capernaitica, sed ἀσπρίτω coniunctione, corpore & sanguine Christi interueniente, Christo uniamur, quae unio fidem in nobis excitat,



98

excitat, fouet, auget, confirmat. Neque enim una tantum est nostri cum Christo coniunctio, sed alia est fidei, alia, quae istius causa efficiens, est ipsius essentia, qua cum Christo modo plane imperscrutabili, attamen vero & ipsi soli cognito, secundum carnis substantiam unimur: ut verba Cyrilli ex cap. 15. super Iohannem in Apologia Augustanae Confessionis adscripta loquuntur. Tres enim tradit modos unionis nostrae cum Christo: Vna est secundum essentiam, altera fit fide, tertia charitate.

IV.

Instat Antonius ita: Quoties ad finem aliquem, inquit, consequendum media habemus certa, & nullis incommodis conflictata, stultissimum est, ut illum ipsum finem assequamur, ea conquirere media, quae neque certa sunt, & infinitis incommodis conflictantur.

V.

Respondeo, media perueniendi ad Deum, & in unitatem cum Deo redeundi, non à nobis fingenda, sed à Deo sancita humili obedientia accipienda sunt. Atque illa etsi videantur humana rationi absurda & multis incommodis inuoluta, tamen ingenij nostri ratio in obsequium fidei captiua ducenda est. Id quod exemplo Naëmani Syri, 4. Reg. 5, demonstratur.

VI.

Obijcit & illud: Scriptura multis locis, utpote Col. 3. Phil. 3. & alibi iubet nos Christum in caelis contemplari. Ergo frustra est, quod in sacra caena quaeritur. Respondeo, esse ignoracionem elenchi, & fallaciam à non causa ut causa. Illud enim faciendum, & hoc non omitterendum, cum utrumque à DEO sit mandatum.

VII.

Addit denique, eam esse Spiritus sancti vim, ut res quantumuis licet locorum interuallo distitas arctissime coniungat. Expedita responsio: De potentia Spiritus sancti iuxta scripturam, non iuxta nostram rationem pronunciansandum est. Iam vero scriptura docet, quod spiritus Christi, atque adeo Deus ipse & tota Trinitas, nobis hæc in terra in sacra caena exhibeat Domini carnem & sanguinem, & in hac diuina sanctione efficacia diuina potentia cernitur.

Nullibi

Nullibi autem docetur in sacris literis, quòd Spiritus sanctus animos nostros in cælum Empyreum euehat, & ibi nos corporis Christi participes reddat.

V III.

Secundum Argumentum Antonij est eiusmodi: Si corpus Christi est cibus spiritualis, ac proinde animi, non corporis ore manducari debet: certè dogma istud de inexistencia corporis Christi stare non potest. Verum est antecedens. Verum igitur & consequens.

IX.

Resp. Est sophisma ab insufficiente enumeratione. Nam corpus Christi non modò animi cibus & obiectũ fidei, τὸ πῶς ἐστὶν, sed etiam corporis nostri cibus, non quidem ad hanc temporalem, sed ad æternam & immortalem vitam διαφυλακτικὸν & σωτικὸν.

X.

Ita enim Cyrillus lib. 4. in Ioh. cap. 14. Oportuit certè, ut non solum anima per Spiritum sanctum in beatam vitam ascenderet, verum etiam ut rude atq; terrestre hoc corpus cognato sibi gustu, tacto & cibo ad immortalitatem reduceretur.

X III.

Et extant Irenæi, Tertulliani & Hilarij similia testimonia, quibus contra Valentinum, Marcionem, & alios, asserentes solam animam capacem esse vitæ æternæ, evidentissimè demonstrârunt: corpora nostra idcirco spem resurrectionis & vitæ æternæ habere, quia percipiant Eucharistiam, hoc est, corpus Christi, quo non quidem ad hanc vitam nutriantur, sed beneficio regenerationis, incorruptibilitatis, salutis & vitæ æternæ afficiantur.

XII.

Tertium argumentum Antonij ita habet: Si corporis Inexistencia in pane vel sub panis accidentibus locum habet, tollenda erit hæc formula in hoc mysterio à priscis usq; seculis usurpata: nempe, SVRSVM CORDA, quam etiam ipsi Pontificij retinent, & quæ fundamentum habet in scriptura.

Respondeo

XIV.

Respondeo, est fallacia homonymias in vocabulo sursum. Aliud enim est sursum loci, aliud sursum venerationis & cultus. In formula illa προσφωνητικῆ, sursum corda, non iubemur mente supra sphaeras caelestes euolare, & ibi in caelo Empyreo corpus Christi querere, sed iubemur omnes χοϊκὰς & terrenas ac Capernaiticas cogitationes deponere, totumq; animum in contemplatione tanti mysterij defixum habere.

XV.

Itaq; iuxta Nicenum canonem credimus, Agnum illum Dei προσκειμενον & propositum esse, non quidē terreno & locali, sed supernaturali modo in sacra illa mensa, atq; ita non tantum externa & visibilia symbola panis & vini, sed unā cum illis inuisibile Domini corpus & sanguinem reuera praesentia credimus, & nos ore corporis, minime corporali modo, percipere statuimus.

XVI.

Est itaq; eleuatio haec non localis, sed spiritalis: non talis, qua supra caelos caelorum mente expatiemur, sed qua sub visibilibus elementis inuisibile Domini corpus hic in terra, iuxta eius promissionem, adesse, & à nobis percipi credimus.

XVII.

Quartum argumentum non tam nobis, quam Monachis oppositum videtur, licet sub Monachorum cucullo nos quoque feriat: Sic enim concludit: Omne dogma, quo idololatria inuehitur, exterminandum est. Dogmate de inexistencia corporis Christi, idololatria inuehitur. Ergo. &c.

XVIII.

Minor Pontificios arguit, ad nos nihil pertinet. Nullam enim vel ειδωλολατρείαν, vel ἄστολατρείαν nos in nostris Ecclesijs, Dei beneficio, habemus. Neque panem veneramus, sed in pane & cum pane nos corpus Domini omni veneratione dignum accipimus.

E

Quin-



## XIX.

Quintum argumentum est tale: Si corpus Christi est simul in pluribus locis, aut est in omnibus illis locis eodem modo, aut non. Si non est eodem modo, sequitur contradictio. Sic enim unius, eiusdemq; corporis presentia presentie repugnaret, & aliter esset in locis, quam in loco: pluralitas autem nihil aliud est quam unitates aggregatae. Sin autem corpus Christi est in omnibus locis eodem modo, & verum est, quod isti dicunt de inexistencia corporis: ergo corpus Christi nusquam est visibile, suisq; dimensionibus circumscriptum, & prae ditum sua forma. Hoc est, uno verbo. Ergo nusquam est verum corpus, quod absit.

## XX

Resp. Modus presentiae corporis est duplex: vel καθ' αυτὸ, vel πρὸς τὰ ἕξω, & haec non includunt ullam ἀντίφασιν. Nam idem corpus Christi καθ' αυτὸ & sui ratione est certa mensura prae ditum, quatenus in sese sua naturali longitudine, latitudine & profunditate, quae ἁλικία nominatur, constat: neq; tamen interim externa πρὸς φερεῖα panis aut aëris, ut aliud aliquod locatum corpus, ambitur & clauditur. Ratio supra tradita duplex: Primum, quia ipsum corpus iam est πνευματικόν, & in caelesti illa beatitudine omnibus conditionibus terrae vitae solutum, non minus ac Angeli & beatorum anime, & nostra corpora erunt, quando occurremus Domino in aëre. Deinde, ratione unionis personalis, secundum quam est in λόγῳ, non in loco, & in ipsam Deitatem λόγῳ, supra & extra omnem loci conditionem euectum. Denique ratione dextrae Dei, ad quam non localiter sedet, ut supra est monstratum. Ita corpus Christi intra se sua forma est prae ditum, sed formis accidentarijs terrae vitae haudquaquam amplius subditum.

## XXI.

Sextum argumentū ducit à proprietate corporis, & censet ἰδιώματα corporis naturalis everti, si illud in sacra caena praesens esse statuatur. Sed  
quo-

quomodo illa non evertantur, id supra ostensum est, & inde patet, si consideremus, aliam esse conditionem corporis Christi in sese, & quidem in statu humilitatis, aliam ratione personalis unionis, & sessionis ad dextram aeterni patris.

## XXII.

Atque haec quidem hoc tempore sufficiant. Nam reliqua argumenta istis ferè sunt similia, Et qui haec solvere noverit, in ceteris non magnoperè laborabit.



...  
...  
...  
...

...  
...  
...



AB

50A  $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3  
003 485 560



Sch

Rest.  
Sep./Okt 84 Schuss.









10

INCTISSIMO  
CHRISTIANÆ  
CORDIÆ.

TATIO DECIMA,  
quidem in refutando posita,  
sima Dominicœna.

OR CAPITVM:  
*μετρωσώσθ ex Roberto Bellarmino reiecta.*  
*confutata.*  
*gentia ἀνασκητικῶν contra Calvinianos.*  
*Calvinianorum, que recensuit Antonius Sa-*

uibus sub Præsidio  
SNERI S. THEOLOGIÆ  
oris in Academia VVitebergenfi, 30.  
1594. σὺν θεῷ, respondebit  
BENSTEINIVS Heilbronnensis.



RGÆ cl. Is. XCIIII.